

...ration.
...
...

4

01
A
55



M. K. 22⁷
(Luth. 43 F. 43.)

J E S U S!

ORATIUNCULA.

PUBLICA.

BEATAE. MEMORIAE.

FREIESLEBIANA E.

SACRA.

Q V A M.

DIE. XV. JULII. ANNO. c12. 13c. LXIV.

PAULO. ANTE. DISCESSUM. SUUM.

IN.

AUDITORIO. EXERCITIIS. HISCE. DE-

STINATO. GERAE. HA-

BUIT.

TOTIUS. τῆ. μακαρίτη. FAMILIAE.

PERSPLENDIDAE.


STUDIOSISSIMUS. ATQVE. OBSERVAN-

TISSIMUS.

JOH. FRIED. HEKELIUS. GERANUS.

ATHENAS. PHILYREAS.

ABITURUS.



G E R A E,

TYPIS HAERED. MAMITZ.



V I R I S
G E N E R O S I S, M A G N I F I C I S, R E V E R E N D I S S I M I S, P R A E -
S T R E N U I S, P L U R, E T P E R R E V E R E N D I S, A M P L I S S I M I S,
E X C E L L E N T I S S I M I S, A T Q U E C L A -
R I S S I M I S.

DN. VVOLFANGO CUNRADO A THUMBS-
HIRN, Toparchae in Ponth / Nobis / & Lohma / Serenissimi Ducis
Saxo - Alteburgici Consiliario Intumo ac Cancellario eminentis-
simo, ut & Redituum Ducalium Directori supremo &c.

DN. JOH. DIETERICO A SCHOENBERG, in Mittel-
stohna Toparchae, Serenissimi Ducis Saxonis Alteburg. Consiliario
gravissimo, Consistorii Alteburgensis Pro - Praefidi eminentissimo, &
Ecclesiae cathedralis Numburgensis Canonico &c.

DN. JOH. CHRISTRIED SAGITTARIO, S. S. Theol. D.
famigeratissimo, Superintendenti Ducatus Saxo - Alteburgici gene-
ralissimo, Concionatori aulico Primario, & Synedrii Ecclesiastici,
quod ibi est, Adsesori gravissimo &c.

DN. HENRICO FREIESLEBIO, S. S. Theol. D. cele-
berrimo, Pastori & Superintendenti Orlamündensium vigilantis-
simo &c.

DN. M. ABRAHAMO TRILLERO, S. S. Theol. Candid. di-
gnissimo, Ecclesiae Alteburgensi meritissimo, Consistoriiq; Adseso-
ri gravissimo.

DN. M. MAGNO SCHMALZO, S. S. Theol. Candid. etiam
dignissimo, & Archidiacono Alteburgensi meritissimo.

DN. M. CHRIST. HENR. LOEBERO, Diacono aulico vigi-
lantissimo, & Illustris Phrontisterii Palaeopyrgici Profesori Philosoph.
famigeratissimo.

DN. M. PAULO SCHMIDIO, Diacono Alteburgensi di-
gnissimo.

*Dnm. Maecenatibus, Patronis ac Evergetis suis Optumis Maxu-
mis, ac in Christo Patribus maxumè & aeternum deve-
nerandis,*

*Ex debitâ observantiâ dat, dicat humil-
limeqve offert*

J. F. H. G. Autor.



J E S U S!



Nter alia, A.O. M. praeclara, memoratuq; dignissima monita, quae Divus Paulus, utpote qui eloquentiae suae pennis alatus tertium in coelum usque, Deo eò vocante, evolavit, πὸν ἐράνιον πῖλον ὡς ὄπιγειον πᾶσιον ἀγαθέων, canae posteritati tradidit, prae reliquis etiam aureum illud, quod in Epistolâ, quam Ebraeis inscripsit, αἰθεροδρόμου, notatû legimus, omniumq; ut inscribatur & infigatur cordibus penitus dignissimum.

Id a. hoc est: Μνημονεύετε τῶν ἡγαθῶν ἡμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ὡς ἀναθεωροῦντες τὴν ἐκβάσιν τῆς ἀνατροφῆς, μιμεῖσθε τὴν πίσιν. Magnifica v. sententia, ac tanto viro prorsus digna. Sed ne quem lateat, quid verbis hisce amussitatis doceat coelestis noster Orator, id συλλήβδην ac caesuratim saltem dicam. Indicat autem, eos, οἵτινες ἐλάλησαν ἡμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, sive Doctores nostros, numquam alto supercilio despiciendos, nec umquam dimittendos ex memoriâ; sed nobis ad imitationem semper proponendos, eosdemq; post funera etiam laudandos, ac parentandum, iis esse: αὐτοὶ γὰρ, inquit gentium in fide magister, ἀρξεν ὑμῶν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, & ut patres, animas nostras, pretioso Christi sanguine redemptas, cibus omni melle ac Nectare dulcioribus, Ambrosiâque suavioribus, verbum Dei sanctissimum puto, procurant, aliaq; alimenta animabus nostris necessaria, ideoq; piis omnibus arridentia, epulum imprimis illud sanctissimum corporis ac sanguinis Dominici, praebent nobis ac porrigunt. Quemadmodum igitur filii optimi atq; obsequentissimi eos, à quibus se natos recordantur, plus & ardentius, quam plerosq; alios, amare solent, omniq; erga eosdem observantiâ superare omnes cupiunt: ita & animarum custodes, iiq; patres nostri in Christo

Ebraeotum XIII. v. 8.

v. 7. ejusd. cap.



fidelissimi, filiali quâdam pietate prosequendi, immortalisq; gloriâ ac
 laude afficiendi nobis, utpote filiis, veniunt. Quâ de causâ etiam,
Φύσιν καὶ ἰσοπέθει duce, consultum duxi atqve putavi, si de PLUR.
 REV. EXCELLENT. atqve AMPLISSIMO. DN. M. JACOBO
 FREIESLEBIO, τῷ νῦν ἐν ἀγίοις, Theologorum haut postre-
 mo, Ecclesiae Alteburgensium meritisimo, Consistoriiq; ibidem Ad-
 sesfore gravissimo, Patrono meo, cum viveret, optumô, ac in Christo
 Patre longè desideratissimo, honorificè dicerem, ejusq; vitae benè a-
 ctæ, ac morum sanctissimorum, quoad fieri poterit, encomia recita-
 rem. Ea n. animæ meæ pabula nutrimenta qve, ea præcepta ad vi-
 tam rectè instituendam spectantia, ex publicis quibusdam concionibus,
 ingenio, quo pollebat politissimo, non indignis, h. e. eruditissimis ac
 selectis prorsus, cum celeberrimum illud phrontisterium Palaeopyrgi-
 cum frequentarem, ab eodè accipi, meisq; percipere auribus, quæ mens
 dignè ac perfectè concipere, linguaq; decenti verborum lumine efferre
 & exornare neqvit. Antequam autem hoc facere aggredior, à vobis
 Aud. Opt. eâ, quâ par est, observantiâ peto atq; contendo, ut me, de
 EXCELLENT. ILLIUS THEOLOGI, τῆς μακαρίτης, laeto vitæ
 ingressu, felici progressu, & tandem beato ac placido egressu breviter
 ac tenuiter perorantem, pro singulari vestrâ benevolentia attendi au-
 dire ne dedignemini. Atq; ut hâc de re ordine concinno loqui pos-
 sim, jam primo loco hujus Orationis meæ agam de Beatè DEFUNCTI
 familia seu genere, ex quò ortum ille traxit. Quamquam autem non

I.
 GENUS. sine causâ gravissimâ Stagiritæ ait: *Εἰκὸς βελτίους εἶναι τοὺς ἐκ βελτιό-*
ων, verisimile est, præstantiores ac meliores esse eos, qui ex meliori-
 Arist. l. 3. bus nati sint; nemo tamen infitari poterit, quòd non pauci etiam ex
 Polit. humili & obscuro quodam genere propter excellentes & singulares
 Suid. in vo- humilitates supra vulgus emerferint, & ad celebritatem nominis evolarint.
 ce τοφός.
 Laërtius in Quis enim nescit, Socratem, ἀδελφῶν αἰ πάντων σοφώτατον, Apollinis
 vitâ Socrat. voce, quæ apud Suidam & Laërtium legitur, dictum, Patrem habuisse
 Gell. lib. statuarium sive marmorarium, Sophroniscum, & matrem Phanateram
 XIX. N. uti Calepinus in Onomastico, vel Phaenaretam, uti Laërtius jam lau-
 A. c. 3. datus, vocat, obstetricem? Quis Aeschines fuit? Gellius id edisserat.
 Cic. de Huic enim acerrimus, prudentissimusq; Oratorum omnium, quos a-
 Opt. gen. pud Atheniensium conciones floruisse novimus, dicitur. Quin Cicero
 Orat. ipse

ipse ita de eodem: nihil illo oratore a bitror cogitari posse divinius. Et *Plin. l. VII.*
Plinius summum Oratorem eum appellat. Quam v. matrem Aeschi- *H. N. c.*
nes habuit? Si quidem Luciano fides est habenda, tympanistram, & *XXX.*
abjectae fortis foeminam. Quis Euripides, quem nonnulli svavilo- *vid. Gell. l.*
quam Scenae Philomelam vocant? At editus in lucem fuit matre pau- *XV. c. XX.*
perculâ admodum, & quae olera in foro vendidit. Quis Demosthe- *& lib.*
nes, cujus Attica illa eloquentia tanta olim fuit, ut, si ipse fingere vo- *l. XVII.*
luisset, neq; plura facundiae dona reminisci, neq; majora potuisset con- *c. 4.*
sequi, quam vel *πειρω* vel *φύσι*, ipsa tribuerat. At gladiatorum fabrum
Parentem habuit. Quis tandem & quantus Cicero fuit, quo in omni
genere perfectius nihil optari posse, Muretus arbitratur? At Patrem, *Epist. 1. lib.*
fullonem, vel certè quæstum ex familiis fulloniam exercentibus quæ- *1. vol. 1.*
rentem, habuit. Idq; jampridem in publicò quòdam eoq; doctissimo
programmate meus *ὁ πίνυ* MITTERNACHTIUS seculo huic littera-
to *ὁ φθαλλοφανῶς* ostendit. Quis famam numquam intermoritu-
ram REVERENDISSIMI AC NOBILISSIMI WELLERI (ut
unicum saltem etiam nostrorum Theologorum, eorumq; celeberrimo-
rum exemplum proferam) ignorat, quippe quem Magnum immò Ma-
ximum Theologum, eumq; *ὁ θεοδόξατος* nominare non erubescunt
omnes ac singuli nostri Theologi? Sed quo, quæso, parente, quo loco
etiam ille editus in lucem fuit? Pistore quodam admodum paupere,
oppidum illud in Voigtlandiâ situm & Neukircham dictum, olim in-
colente. Eò n. Nobilissimæ & antiquissimæ WELLERORUM
à *Wolsdorf* familiae conditio per temporum injuriam redacta fuerat,
ut quidam illius surculi ad perdiscendas artes mechanicas detruderen-
tur; quod aliis etiam Nobilissimis familiis evenisse, testantur historiae,
& confirmat Julii Caesaris Scaligeri Pater, cujus, sutoriam, ut quidam
referunt, exercentis majores ad summum eminentiae gradum ascen-
disse Heinsius alicubi probat. At quem latet, quantoperè fulgentis-
simum illud purioris Theologiae sidus, WELLERUS nimirum, cum
Ulyse Homericò loci natalis sui obscuritatem virtutis suae atq; erudi-
tionis, quam comparavit sibi, radiis illustraverit, animoq; sese nobile &
antiquo familiae splendore dignū probaverit, existumans pulcrius mul-
tò, ut Aufonianis verbis utar. parari, quàm creari saltè nobilem, & fami-
liam olim, si bellicae virtutis laudem spectemus, & Theologiae, ac Pro-
fessionis Academicæ dignitatem attendamus, nobilissimam; tenus
hac

hac v. obscuram, è tenebris in lucem iterum vocare, ac virtute majori-
 bus praeclucere. Etiam si ergò ex obscuris Parentibus natus fuisset B.
 DN. FREIESLEBIUS, & vel è casâ prodiisset; id tamen ejus lau-
 dibus, quas meritus fuit amplissimas, nihil derogaret. Verum ille
 non ex obscurò & abjectò quoque genere: sed honestissimis piissi-
 misq; parentibus ortus fuit, patre nimirum Viro integerrimo atq; spe-
 ctatissimo, DN. JACOBO FREIESLEBIO, Redituum Ecclesi-
 asticorum, qui Weidæ eo tempore colligebantur, praefectò fidelissi-
 mo, Judice urbano, & Camerario primario, dignissimoque. Matre v.
 lectissimâ atq; pudicissimâ foeminâ, Ursulâ, VIRI ADMODUM REV.
 EXCELLENTISSIMI ATQUE PRAECLARISSIMI DN. M. JOH.
 ALTENDOERFFERI, SUPERINTENDENTIS olim Isenacen-
 sium & Ronneburgensium meritissimi, cujus nomen etiam in subscri-
 ptis Formulae Concordiae reperire licet, filiâ, foeminâ certè ob sin-
 gularem virtutis amorem, ac indefesum pietatis studium praestantis-
 simâ. Ex his itaque, optimis profectò ac verae pietatis amantissimis
 parentibus originem trahens FREIESLEBIUS, quid antiquius
 pietate ac litterarum studiò habere potuerit? Utriusq; sanè amorem
 cum Paternò semine, & lacte materno concepisse videbatur. Ac mul-
 tum profectò momenti situm in hoc semper fuit, à quibus quis natus
 esset: quum Parentum mores plerumq; transeant in liberos. Patriam
 porrò quod concernit, natus fuit in civitate quâdam Voigtlandiae,
 quam supra Weidam dixi, non omnibus eque adeò notâ, at nequa-
 quam tamen prorsus ignobili aut obscurâ. Non pauci enim Historici
 & Geographi honorificam satis ejus mentionem fecisse non erubue-
 runt. Et ut nihil de arce editissima dicam, templa id oppidum duo ha-
 bet, ac coenobia duo, ceu Dreserus refert, qui duabus paginis de hóc
 loco disserit, quas describere hoc loco non volumus. Restant enim,
 alia, quae producenda sunt in proscenium, ac plus laudis NOSTRO con-
 ciliant. Nam si modò B. NOSTRI DEFUNCTI naturam, animi in-
 primis, apud mentem paulò exactiùs volvimus, eamq; accuratius con-
 sideramus; videbimus, eam ad summa ferè natam, & innato quodam
 impulsu incitatam fuisse, nec frustra id factum, honores testantur, quos
 à juventutis suae flore statim in eum congeserunt diversarum artium
 homines, quippe qui illi, cum annum aetatis vigesimum secundum age-
 ret, in Philyreâ celeberrimâ, primam, quam vocant, Philosophiae lau-
 re

II.
 PATRIA.

III.
 NATURA.
 & quidem
 animi.

IV.
 FORTU-
 NA.

ream, & postea, cum annum vicesimum quartum attigisset, Doctoratus Philosophici insignia contulerunt ac privilegia. Id quod silentii cineribus obruere hic nolui, sed significare brevissimè. Quamquam enim non tantum Baccalaureatus, sed Magisterii quoque; sive Doctoratus Philosophici honores interdum indignis etiam conferri solent; ideo tamen non vilescere aut sordere nobilioribus ingeniis dignitates illae debent; utpote quas magni semper aestumarunt viri undique doctissimi. Gradum a. Magisterii adeptus Leucoream illam Academiam, quippe jam inde à B. Lutheri temporibus famigeratissimam, abiit, proponens sibi studium, quod numinis divini favente gratia inceperat, Theologicum ibidem continuare, & non aures modo apertas, sed mentem quoque attentam venerandis, qui tum vixerunt, purioris Theologiae antistitibus, Balduinum, Frantzius, Hunnius atque Meisnerum intelligatis velim, adplicare. Non enim ignorabat, haut parum splendoris à Doctoribus derivari in discipulos; ac felicius plerumque ab iis disci, quorum solidam eruditionem admirantur caeteri. At quia isthic imbecilliori saepissime utebatur valetudine, fieri aliter non poterat, si quidem consulere sibi vellet, quin subsequenti anno, & mense quidem Augusto, felicissimum istud scientiarum, quod Jenae est, Capitolium petens se ad clarissimos & in studio Philosophico & Theologico nequaquam jejunos viros conferret, eorumdemque lectionibus, neque non conversationibus interesset frequentius, usque dum sapientissima summi Patris cura eum mox inde abduceret, & in mysticae illius Hierosolymae vineam ablegaret. Nam modo dicto anno VIR MAX. REV. AMPLISSIMUS ATQUE EXCELLENTISSIMUS DN. HENR. EKHARDUS, S. S. THEOL. D. Celeberrimus, Superintendens Ducatus Saxo-Alteburgensis Generalis, longeque meritisimus, & Consistorii Adsesor gravissimus, *υἱὸς ὁ μακαρίτης*, nec non universum Amplissimi, Consultissimi atque Prudentissimi Senatus ibi concilium litteris ipsum humanissimis vocabant, ut Diaconatus Alteburgensis munus in se susciperet, atque ita experiretur, se non laborasse frustra, sed reportaturum esse sudoris praemium. Hanc ergo vocationem pro verè divinam & ultrò oblatam iudicans gratam omnino mente, vultuque sereno accepit, & cōcione inaugurali, quam in aedibus Divo Bartholomaeo olim sacris ad populum habuit, finitam, quae Auditorum animos mirificè oblectabat ac demulcebat, munus sibi inunctum obiit. Quoniam autem, monente Paulo, Epi-
scop-

scopum, si quidem aptus sit ad matrimonium, *ἢ ἡ μὲν γυναικὶς ἀνδρα*
είρας, vitā coelibe exesse ac valere jussā, Excellentissimi DN. SUPER-
INTENDENTIS, quem Promotorem illius jam modò dixi Optu-
mum, filiam, Elisabetham, virginem rarā virtute, & imprimis singulari
pietate ac probitate praeditam, devotis precibus ad Deum misis, uxo-
rem duxit, cum quā per decem annorum, & quod excurrit, spatium,
non conjunctissimè dumtaxat, sed suavissimè quoque vixit atque beatissi-
mè, septemque ex eā liberos suscepit, de quibus unicum adhuc, & eum
quidem gloriam paternā praeclare aequantem, imò superantem filium,
PLUR. REV. nimirum, EXCELLENTISS. atque AMPLISS. DN. HENR.
FREIESLEBIUM S. S. THEOLOG. D. celeberrimum, Superin-
tendentem Orlamündensium vigilantissimum, Patronum, Maecena-
tem, ac in Christo Patrem meum aetatem devenerandum; & unicam
pietatis ac virtutum laude satis coruscantem filiam, REGINAM, VIRO
PER-REV. AMPLISS. atque PRAECLARISSIMO, DNO. M. MA-
GNO SCHMALZIO, Archid. Alteburgensi longè meritissimo,
Patrono ac Evergetae Optimo, & si à Deo discessero, Maximo, meoque
in Christo Patri filiali quādam observantiā aeternum prosequendo nu-
ptam, superstites esse novimus. Cum v. humani generis conditor &
propagator, Deus, *Elisabetham* illam ipsi dilectissimam ex hac miseria-
rum & lacrymarum valle in gloriosissimum beatorum palatium, quam-
quam non sine acerbissimo relictī vidui luctu, recepisset, matrimoni-
um repetens lectissimam ac pudicissimam foeminam, SUSANNAM,
VIRI INTEGERRIMI ACHONESTISSIMI, DNI. MICHAELIS
JESNERI, civis Alteburgensis primarii, relictam viduam sibi
adjunxit, & ex eā unicam saltem filiam, SUSANNAM ELISABETHAM,
quam PER-REV. atque CLARISSIMUS DN. M. PAULUS SCHMI-
DIUS, Ecclesiae, quam Alteburgi sibi Christus colligit, Diaconus di-
gnissimus, Patronus meus venerandus, ac in Christo Pater dilectissi-
mus, in matrimonio jam tenet, suscepit. Nec hīc tamen ultimus ho-
noris, quem nactus fuerat, terminus fuit aut limes. Etenim posthaec,
omnibus, quae sui muneris esse putabat, peractis, VIR MAX. REV.
EXCELLENTISSIMUS atque AMPLISSIMUS DN. AEGIDIUS
HUNNIUS, celeberrimi nominis Theologus, *ὁ νῦν μακαρίτης*,
Superintendens tūm Generalis, ac meritissimus, Consistorii Adses-
sor gravissimus, votis ac calculis Alteburgensis quaeesturae Praefecti,
ac

ac Prudentissimi Senatus consentientibus, Archidiaconum illum declaravit, cui officio suo maxumâ cum laude tamdiu praefuit, usq; dum SERENISSIMUS atq; CELSISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS, DN. FRIEDERICUS WILHELMUS, Dux Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium &c. Consistorii Ecclesiastici Adsesorem eum designavit, & ut designatum istum introduceret GENEROSUS, MAGNIFICUS, atq; NOBILISSIMUS DN. JOH. FRIED. à Brand/Haereditarius in Naar/ & Kleinhelmsdorff/ Golscha & Langenleube/ &c. Vir Nestoris ac Pylia aeo sanè dignissimus, nec umquam MITTERNACHTIO meo absq; suspiriis cogitandus, in mandatis dedit. Quamquam autem satis amplus est hic honor, & magni prorsus aestumandum, locum aliquem obtinere in tam illustri Consistorio: ad plura tamen, eaq; longè sublimiora honorum potuisset adscendere culmina, si voluisset: ast numquam opes invidiosas sitiit, aut dignitates, autumans, cum Orlamündam, Salfeldam, inq; plures alias civitates vocaretur, ut illic Ecclesiae gubernacula tractaret, omnem mutationem periculosam esse; ideoq; tutius putabat, in eâ permanere statione, in quâ constitutum se à Deo intelligebat. Quapropter etiam opimas illas ac satis honorificas functiones modestè abnuit, & in vineâ istâ, in quam illum Christus, animarum Archiepiscopus fidelissimus, semel miserat, usq; ad vitae finem laboravit. Atq; hoc modo non paucos redarguit, qui magna crepantes ad superiora semper rerum fastigia adspirant, licet adsurgere eò non possint. Verum enim verò immortalem hanc gloriam ne ullò quidem modò sibi comparare potuisset, nisi maturè animum adplicuisset litteris. Ea propter Islebiū, cum esset pueritiam praetervectus, petiit, ibidemq; Gymnasium tunc celeberrimum frequentavit. Ac Praeceptoribus dexterrimis ac felicissimis, VIRO nimirum EXCELLENTI atq; CLARISSIMO, DN. M. ANDREAE SCHOEPFFERO, Rectori ibidem felicissimo, ac Philosopho longè famigeratissimo; nec non VIRO PEREXIMIO atq; CLARISSIMO, DN. M. CHRISTOPH. STOLZERO, Con-R. tum fidelissimo, nunc v. Pastori apud Halenses Saxones vigilantissimo; praepriis v. PLUR. REV. EXCELLENT. atq; AMPLISSIMO DN. M. NICOLAO BERTRAMO, Pastori ad Divi Andreae meritissimo, Consistorii, quod ibi est, Adsesori spectatissimo, Patrono atq; Agnato suo, poliendus concredebatur, ac informandus, qui animum in Eo atq; ingenium ad omnia percipienda satis felix maturè animadvertentes, horis etiam privis illum Philosophiam

V.
INSTITU-
TIO.

B

do-



VI.
ACTIO.
NES.

docuerunt; eumq; tantò amore, tamq; inaeſtimabili benevolentia sunt proſequuti, ut nihil interipſum, & quemlibet filiorum intereſſe videretur. Nec v. fruſtranea fuit aut tantorum Virorum benevolentia NOSTRO abundè probata, aut ejus in excolendo & poliendo ingenio induſtria. Eos n. in ſtudiorum ſtadio per uberrimam Dei gratiam progreſſus fecit, ut conſentientibus & adplaudentibus Patronis ac Praeceptoribus omnibus, ad Acroaſeis Academicas abire poſſet. Ubi v. in campum illum ſe translatum intellexit, tum demum illuſtria felicioris animi documenta dedit, & qvud labor improbus ac piae preces valeant, ubertim commonſtravit. Etenim ut lectiones DNN. Profeſſorum ac Diſputationes frequentabat adſidue, ac indefeſſo ſtudio litabat Muſis; ita paulò poſt cathedram diſputatoriam Lipſiae conſcendit ſaepius, ac theſeis non Philoſophicas modò, ſed etiam Theologicas maſculè tutatus fuit, & qvidem cum adplauſu omnium. Omnem praeterea vitae rationem non ad male feriatorum qvorumdam, qvorum in Academia magnam ſemper meſem metere datur, ſed ad Profeſſorum placita inſtituebat, oſor vitiorum acerrimus, & virtutum ſtudioſiſſimus amator. Nam nihil aut meditabatur, aut loqvebatur, aut agebat, niſi qvud conſentaneum virtuti, & pietati cumprimis eſſet. Ac talis deinceps vitae ratio per omnem aetatem fuit: qvum, qvibus adſveti in annis juvenilibus ſunt homines, ab iis numqvam recedant viri facti aut ſenes. Nam qvem laet, cum ſemper fuiſſe, & in omnibus officii partibus ἀνεπιληπτον, καὶ διδάκηνον, hoc eſt, vitae inculpatae, & ad docendum aptiſſimum? Cui non perſpectum eſt, illum fuiſſe τὰ ἴδια οἶκος καλῶς περιτέλειον, τέκνα ἔχοντα ἐν ἰσοταγῇ μὲν πάσης σεμνότητι, quae à verò Eccleſiae miniſtro requirit Apoſtolus? Qvem praeterit, quaeſo, iſtum vitam egiſſe laborioſiſſimam, ideoq; laudatiſſimam ac glorioſiſſimam, qvippe qvi nullis laboribus, nullis vigiliis parcens ſuò in miniſterio ſaxum quaſi Sifyphium volvit, dum meditatoſ verbum Dei intra muſeum noctes atq; dies fuit, conciones creberrimas, tum ordinarias, tum extraordinarias habuit, conſitenteis audivit, & abſolvit à peccatis; aegrotis verò mortiq; proxumis adminiſtratione venerandae coenae Dominicae, ſolatioq; ſuperfluo ex ſvaviſſimae voluptatis unico fonte orto, ſuccurrit. Exinde etiam, qvum vitam cum morte commutaſſet, & anima ejus, quae in corpore ſatis procerò, decoro, & quaſi animi generoſo hoſpicio elegantiſſimo, per qvinqvagenta & octo annos hoſpitata fuit, evoláſſet

VII.
MORS.

set, pleriq; non parum lugebant, apertissimaq; moeroris signa edentes defunctum deplorabant, ac visendi gratiâ mortuum, & in loculo compositum ac jacentem, adibant, illud animi robur & piam, atqve in morbo probatam constantiam admirantes. Tertio tandem ab abitu ejus die tanto omnium ordinum, omnium aetatum, & utriusq; sexus cum concursu ac studio efferebatur *ὁ μακαρίτης* noster, ut non unius tantum hominis, sed totius civitatis funus deportari videretur, ac via ferè non caperet exequiatores, templumq; ipsum effusam illâ multitudinem non admitteret. Et quid dicam? SERENISSIMUS AC CELSISSIMUS PRINCEPS AC DN. DN. FRIEDERICUS WILHELMUS, Dux Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac montium &c. Princeps supra omnem laudem positus, nec non svavisimâ illius conjux, nimirum SERENISSIMA AC CELSISSIMA PRINCEPS AC DOMINA, DN. MAGDALENA SIBYLLA &c. unâ cum Celsissimâ suâ profapiâ eum comitati, & concioni doctissimâ, quam alter ille Lutherus, REVERENDISSIMUS, MAGNIFICUS, EXCELLENTISSIMUS, NEC NON AMPLISSIMUS DN. JOH. CHRISTFRIED SAGITTARIUS, S. S. THEOL. D. celeberrimus, Superintendens Ducatus Saxo-Alteburgensis generalissimus, concionator & confessorius aulicus Primarius, Consistorii Adsesor gravissimus, Patronus meus summus ac in Christo Pater filiali quâdam observantiâ aeviternum venerandus, è suggestu dixit, interfuere. Hic verò VOBIS, VIRI SUMMI, pro singulari vestrâ *ἀγχινοία* judicandum relinquo, quantum hoc ipsum honoris, MORTUO exhibiti, argumentum sit, quod tanti Principes interesse exequiis ejus publicis dedignati non fuerint. Hic enim honor inter plurimas concionatorum chiliades vix uni obtingere solet. A funere contumulatum VIR PER-REV. EXCELLENTISSIMUS, NEC NON CLARISSIMUS DN. GEORGIUS CRAUSERUS, P. L. C. Illustris Phrontisterii Alteburgensis tunc temporis Rector felicissimus; jam verò Pastor & Superintendens Apoldensium dignissimus, Praceptor meus, ac in Christo Pater longè dilectissimus, oratione publica prosequebatur, & SERENISSIMIS AC CELSISSIMIS PRINCIPIBUS, reliquisq; Auditoribus omnium ordinum spectatissimis gratias agebat humilimas & maximas, ejusq; orationis conclusio lacrymae erant uberri-
mae, quas & Orator, & Auditores largiter effundebant. Et hic est

VIII.
SEPUL-
TURA.

exi-

exitus **VIRI** illius de Ecclesiâ optumè meriti, qui nunc in regione pio-
rum delicias sentit sempiternas, circa summam, quam expectamus, di-
em nobis restituendus. Agite ergò, commilitones lectissimi, vobis et-
iam, quae dicta sunt, dicta putate: **VIRUM BEATUM** imitami,
litteris operam navate strenuam, inprimis verò adcuratam pietatis ra-
tionem habete, & ita omnem vestram vitam instituete, ut eam **VIRI**
sapientissimi ac verè pii probare possint. Non defunctum tantum-
modo sua, quam meritis fuerat, gloria mansit: **VOBIS** etiam propo-
sita est corona, sed non nisi egregiè certantibus: quippe quae laborem,
sequi solet, non ignaviam, non petulantiam, non malitiam. **VOBIS**
autem, **VIRI SUMMI**, prolixas debeo gratias, ac tantas omninò,
quantas exsolvere per infantiam non possum. Vos enim, sepositis
quasi ad tempus gravissimis vestris laboribus, comparere hoc loco, ac
me balbutientem potius, quàm dicentem, benevolentissimè auscultare
non dedignati fuistis. Redhostimenti loco, quum nihil habeam nunc
aliud, me totum **VOBIS** offero, gratulaturus mihi met, si intellexero in
posterum, quibus in rebus inservire vobis possim. Nec dubium est,
quin universa familia **FREIESLEBIANA** gratisimâ agnitura
mente sit, quod in beatè **DEFUNCTI** honorem honorificentissimâ **Ve-**
strâ praesentiâ ornare hoc auditorium voluistis. **TU** interim, **JACOBE**
beatissime, salve & triumpha, triumpha **JACOBE**, triumpha,
inquam, & optatâ quiete aeternum
fruere.

D I X I.



01 A 6574

ULB Halle

3

003 090 566



R. V D 17





JESUS!

ORATIUNCULA.

PUBLICA.

BEATAE MEMORIAE.

FREIESLEBIANA E.

SACRA.

Q V A M.

DIE. XV. JULII. ANNO. 1764. LXIV.

PAULO. ANTE. DISCESSUM. SUUM.

IN.

AUDITORIO. EXERCITIIS. HISCE. DE-

STINATO. GERA E. HA-

BUIT.

TOTIUS. τὸ. μακαρίτη. FAMILIAE.

PERSPLENDIDAE.


STUDIOSISSIMUS. ATQUE. OBSERVAN-

TISSIMUS.

JOH. FRIED. HEKELIUS. GERANUS.

ATHENAS. PHILYREAS.

ABITURUS.



G E R A E,

TYPIS HAERED. MAMITZ.

